

25
33

^{LIII}
DISPUTATIO POLITICA,

De

STATU REIP.

MONARCHICO, 1622 10

Quam

Divini adspirante Numinis
gratiâ,

IN CELEBERRIMA, QUÆ EST AD ALBIM,
ACADEMIA,

PERMISSU FACULTATIS PHILO-
SOPHICÆ AMPLISSIMÆ,

PRÆSIDE

M. FRIDERICO KORNMANNO,
Uratlaviensi,

Publico Examini subicit

FRIDERICUS STURMIUS,

Cotheno-Anhalt.

*Ad d. 13. Julii, in Auditorio Philosopho-
rum, horis à 7. matutinis.*




WITTEBERGÆ,

Exscripta typis CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XXII.





VIRIS

NOBILISSIMIS, REVERENDIS,
AMPLISSIMIS, PRUDENTIS-
S I M I S,

DNN. DIRECTORIBUS AT-
QUE EXECUTORIBUS TESTA-
menti quondam Illustriss. ac Celsiss. Principis
WOLFGANGI Anhaltini, Musarum Fauto-
ris ac Mæcenatis laudatissimi.

UT ET

Ampliss. Prudentiss. Spectatiss. Viris,

DNN. CONSULIBUS ET SE-
NATORIBUS ANTIQUÆ CO-
THENARUM REIP. &c.

*Dnn. suis, Fautoribus & Promotoribus
eternum honorandis*

Declarandæ gratitud. ergo

D. D. D.


FRIDERICUS STURMIUS

A. & Respond.



Συμπερί.

THESIS I.



Ontroversa semper inter Politicos fuit quaestio; Utrum Aristocratia, an Democratia praestarent Monarchia? An verò Monarchia utriq;? Piores quidem qui defendunt sententias, pauci non sunt, quorum tamen tanta nobis non est autoritas, quae a posteriori nos abducat sententia, quam, cum veriore, Naturae rationiq; convenientiore melioremq; nos amplexaturi simus, causam assertionis nostrae, antequam ad alia in hac proposita materia progrediamur, unam atque alteram prius sumus examinaturi.

II.

Et siquidem Autoritati gravissimorum scriptorum hac in re quid tribuendum, sanè, jam nostra stat sententia satis munita. Audiatur quis *Aristotelem Polit. 3. c. 7. & 5. c. 10. Plutarchum in libello de Unius & multorum dominatu. Senecam lib. 2. de Beneficio. Cicero-nem 3. de ll. Bodinum de Rep. lib. 6. Tholozanum de Rep. lib. 5. Herodo-tum. lib. 3. Halicarnasseum lib. 1. Justin. lib. 1. Curtium lib. ult.* Et tan-dem quis sacris literis fidem & obsequium non praestet, quae & ipsae Unum constituunt Regem. 1. Reg. 1. observantiam Impe-ratori praecipunt. *Matth. 22. Rom. 13. ad Tit. 3. in 1. Petri 2.*

III.

Quod si nihil apud nos horum Autoritas, ipsa tamen nos Natura in hanc quasi manu ducit sententiam; Quae cum artifex optima non nisi optima perfectissimaq; in suo quaeq; genere producat, Mo-narchia certè, quae ad Naturam quam proximè accedit, cum omne Imperium naturale ab uno sit, & quae pulchra in mundo habeantur, singu-laria sint. *Thom. lib. 1. de princ. regim. c. 2. Pontanus lib. 4. de obedien-tia sint.*

zia l. 2. Lipsius Polit. 2. c. 2. Casus lib. 3. Polit. c. 7. ob id cæteris me-
lior salubriorq; præponenda erit.

IV.

Et si unus, qui totius universi moderetur habenas: Unus
qui diem, sol, illustret; Una noctis oculus, Luna; Unum in μη-
κροκόσω cor omnia regit ac membra moveat: Unus in qua-
drupedes Leo dominetur: Unus inter grues velut princeps gre-
gem ducat. Arist. 1. de hist. anim. Unus inter apes Rex fit. Plin. lib.
11. nat. hist. c. 17. Profecto, quid in humanis, adeoque in Rep.
hunc Naturæ impedire cursum possit vel debeat, non videmus.

V.

His ita prælibatis, non abs re erit, ipsam Monarchiæ audire
definitionem, quam cum Arniseo 2. de Rep. c. 2. sect. 3. ponimus
talem. *Quod nempe sit Respublica, in quâ gubernentur omnia imperio
Unius, penes quem resideat suprema & libera potestas, indeq; in omnes
reip. partes, tanquam à fonte in Canales derivetur.*

VI.

Ex qua definitione colligi haud difficile erit, duos in hac
Reip. specie ad suprema gubernacula adspirare non posse, si-
quidem ut Statius lib. 1. Thebaid.

— Summo dulcius unum,

Stare loco, sociisq; comes discordia regnis.

Et Lucanus lib. 1. Pharsal.

Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas,
Impatiens consortis erit:

Adeoque, ut ex ipsius etiam Nominis notatione liquet, non nisi
unum admitti, quod etiam vetustissimus ille lib. 2. Iliad. monet,
dum canit;

Ὀὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίραν ὄρω:
εἰς βασιλεὺς.

In cujus persona & officio, quæ ad salutarem bene constitutæ
Reip. conservationem requirantur, prius, tum, quæ partium
Reip. officia, in sequentibus videamus.

VII.

Quia verò triplex, ad quod omnes vitæ suæ actiones referat
&



& dirigat princeps, objectum habet, nempe *DEUM*, personam suam propriam, & alios, cum quibus illi negotium: prius, qualem se erga *DEUM* gerere debeat princeps, attendamus.

VIII.

Respectu itaque *DEI* quod in Monarcha requirimus, *PIETAS* est, quam *Plato 2. Polit. rectissime fundamentum Reip. constituit*, Quæq; sublata fides & societatem generis humani; imò ipsam tolli justitiam putat *Cicero 1. de Nat. DEOR.* Consistit verò Pietas in agnitione & cultu veri *DEI*.

IX.

Illam assequitur Princeps, si, quemadmodum se *DEUS* in verbo suo patefecit, credat, agnoscat, omnesq; hæreses viperino sanguine cautiùs evitet.

X.

Hunc, quemadmodum perficere debeat Monarcha, docet *Psalmista*, dum canit, *Et nunc, Reges intelligite, Erudimini, qui iudicatis terram, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quomodo igitur serviat in timore? certè non aliter, nisi quæ contra *SS. Decalogi Præcepta* fuerint commissa, religiosa severitate prohibeat, puniat, legesq; iusta præcipientes & mala prohibentes convenienti vigore sanciat, vel sancitas defendat, ut annotat *Arriæus 2. de Rep.*

XI.

Sed quærat aliquis ex sententia quorundam, Utrum hic sufficiat simulata principis Pietas & religio? Quod negamus. Licet enim eadem subditorum quodammodo devincire animos queat, & ita ad simulantis quid conferre principis incolumitatem; Non solum tamen difficile putat *Aristot. 5. Polit. c. 11. tam catè eum personata religione in scenam prodire, quin stulta aliquando deprehendatur simulatio, quam funestam Principi fore putat. Huralt. lib. 1. de Stat. seu Rep. c. 15.* Sed & quando divina in manu & potestate principum sit incolumitas, frustra laborabit, qui contra eam, vel sine eâ, laborabit. Deserit namque *DEUS* sui desertores.

XII.

Et hæc Monarchæ virtus competit respectu *DEI*; Quæ eidem

eidem respectu suis ipsis competit, est *Temperantia*. Vivit a. *Temperanter* si *Colat. i. sobrietatem*, quam *Augustinus* vocat *mentis sensus*, omnium membrorum corporisq; tutelam, castitatis pudicitiaq; munimentum, pudori proximam, honestati semper conjunctam, omniaq; cum ratione bona disponentem. Anima namq; ut placet *Socrati*, sicior præ reliquis sapientior; *Nec*, inquit *Seneca Ep. 83. in sua est potestate animus ebrietate devinctus*. Unde facilis est conclusio, quid de istis sentiendum principibus, qui eò usque ebrietate gaudent, ut coronam ei, qui plurimum meri biberit, proponere non dubitent, quod *Alexandr. M.* fecisse historiae produnt; sed in aprico, quis illorum sit finis, quis exitus, quæ præmia.

XIII.

2. Ad finem præcedenti virtuti *Castitatem*, quæ nunquam sola, sed semper aliis comitatur virtutibus: *Habet namq; comitem Fortitudinem*, juxta *August. lib. i. de Civ. Dei.* Quia itaque animo libidine corrupto nihil inest honestum, ut ait *Tacit. ii. annal.* & qui pudorem susq; deque habent, contemptu & infamia apud suos flagrent; Hanc virtutem principem virum maximè decere putamus, cum, sicuti apiculæ hominem à coitu olidum valdè oderunt, ita quoque principem libidinosum execrentur, detestentur, & tantum non diris devoveant subditi. Imitandum itaque bono principi proponimus *Jobum*, qui se cum oculis suis scædus iniisse profiteretur, ne oberrarent in consideratione venustarum virginum. *Job. 31.*

XIV.

Tertia, quam in Principe Monarcha requirimus virtutem, est *Magnanimitas* cui adfinis est *Fortitudo*, quibus si ullum alium, certè Principem præcellere clarumq; esse oportet. Sat siquidem notum, quam semper honorum virtutisq; comes invidia; Quæ quin nonnunquam suos emittat stimulos, fieri non potest. Ubi si quæ forte lubrica lingua convitia maiosq; divulgavit rumores, ad pœnam haud statim trahendum. *i. 7. §. Hoc tamen ff. ad leg. Jul. maj.* Quin potius cum Imperatore, si quid prolatum fuerit ex levitate, contemnendum, si ex insania, miseratione dignum, si

ab injuria, remittendum putemus, l. un. C. si quis Imp. maledix. Et cum Tiberio dicendum in civitate libera mentes linguasq; liberas esse debere, ut annotat Sueton. c. 28. sed tamen non ita, quasi cuivis de suo Rege vel Principe malevolo ore quævis evomere convitia sit liberum; quo in casu princeps jure meritoq; justam exercere vindictam potest & debet.

XV.

Temperantiam præterea à Principe exigere possemus in amictu & victu, Recessu, & recreationibus animi; sed cum de his ex præcedentibus facile sit judicium; Principibus verò vel vestiarias præscribere leges, vel eorundem instruere & reformare culinas, nostri nec sit instituti nec officii, ad illos ea hæc vice, quibus hæc de re potior & promptior judicandi decernendiq; potestas & voluntas data est & libera; remittamus.

XVI.

Ad illos itaque progredimur, cum quibus Principi negotium esse supra monuimus, qui vel sunt à latere ejus, vel sunt subditi.

XVII.

Qui à latere ipsius sunt iterum sunt vel *Necessarii*, ut conjux, liberi, fratres, sorores, agnati, cognati, vel *Officiarii*, ut Consiliarii, Legati & ministri, *Illis* debitum honorem, amorem, curam & fidem, ipsum præstare convenit; *His* ne nimium indulgeat, totamq; administrationem, gubernandiq; potestatem committat, è Reip. est salute & incolumitate. *Ministrus* denique neque nimiam licentiam neque nimis acerbam præbeat disciplinam, sed intra justæ ac legitimæ eos disciplinæ limites regat ac coerceat.

XVIII.

Jam, qualem se erga subditos gerere debeat Princeps, videndum; iis r. se præbeat *JUSTUM*. *Justitia* siquidem *Regis* firmat solium, *Proverb. 16. sine qua Cic. 3. off. nihil in Imperu administratione putat effici laudabile*: quam qui è Rep. tollit, ipsum profecto de

de mundo solem sustulisse videtur. Hinc summum subdito-
rum amorem, hinc perpetuam summamq; nominis famam,
ac celebritatem est cōsecutus *Imp. Trajanus*; *Qui si quando prætorei*
præfectum constituerit, gladium ipsi tradens dixisse fertur. HUNC
CAPE ENSEM, SI BONUS FUERO, PRO ME, SIN
MALUS, CONTRA ME UTITOR. *Aurel. victor.* Quem sa-
ne non nisi summa cum laude quilibet imitari monarcha po-
test & debet.

XIX.

2. CLEMENTEM. Salvum nempe Regem in aperto præ-
stabit clementia, *inquit Sen. 1. de Clem. c. 19.* qua in virtute ho-
mines ad DEUM quam proximè accedunt, ex sententia *Cicer.*
pro Ligar. Et quemadmodum *Justitiæ Sol, DEUS,* omnibus suis
clementior est creaturis; Ita *Princeps alter quasi Sol in terris, vicemq;*
DEI gerens, Psalm. 82. Omnibus quoque suis subditis clemen-
tia major esse, eosq; præcellere debet.

XX.

3. PRUDENTEM. Cognitio namque sapientis tanquam
inundatio, abundabit, & consilia ejus tanquam fons purus vi-
tæ. Ut est *in S. literis Eccles. 21.* Hinc felix Judaici regni status sub
Salomone; Et quanta lapidum, tanta auri argentiq; copia fuit
Hierosolymis 3. Reg. 10. Depingitur *Julius Cæsar* globo insistere,
librum sinistra, dextra gladium tenere hac cum inscriptione:
EX UTROQUE CÆSAR. Unde facilis demonstratio *Literis*
& armis, (quod vulgo etiam celebratur) Imperium gubernari,
ac summa cum laude & utilitate posse & debere conservari.

XXI.

4. LIBERALEM. Etenim fortem esse, justum, gravem,
magnanimum, largum, beneficum, liberalem, regias vocat
virtutes *Cic. pro Deiotaro.* Diemq; se perdidisse putavit *Titus,*
quo nihil cuiquam præstitisset; Cum hanc sibi nobilitas legem
imponit, ut debere se, quod spontè tribuit, existimet, & nisi
in beneficiis suis creverit, nihil se præstitisse putet: ut habet
tex. in c. 1. de donat.

XXII. Quæ

XXII.

Quæ iraque in Principe ad bene constitutæ Monarchiæ
conservationem requirimus, hæc hæctenus: Verùm obiciat
quis forte, atque exprobrat nobis, qui illud, quod nullus
fortè unquam vel potuit, vel poterit præstare, à principe exi-
gere non erubescimus: Responsum huic volumus. Quod,
quia

— Totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentum.

&

Scilicet in vulgus manant Exemplaregentum,
Utq; Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Omnino & jure nos requiramus, quod quantum in humana
stat imbecillitate, princeps propositæ id eæ se conformare de-
beat (licet summam illam in omnibus, quas posuimus, virtuti-
bus *ἀνεξέβητα* exigere haud possimus) ne Naturæ invertatur
ordo, cum, ut ait Halyc. in præfat. Orig. Rom. *Natura lex sit omnibus
instita, quam nullum dissolvere queat tempus, deterioribus semper impe-
rare meliores. Sic Scipio deforme sibi putabat, ab his, quos dignitate præ-
stabat, virtute superari, cum secundum Aristotelem 1. Polit. c. 3. Juri
& æquitati sit contrarium digniorem servire indigniori. Hinc meritò
laudanda Scipionis continentia qui, cum captâ Carthagine, milites
venustissimam ei adducerent puellam, Libenter, inquit, acciperem, privatus
si essem, non Imperator.*

XXIII.

Nunc de subditorum, quos supra partes Reip. nominavimus,
personis & officio, quales videlicet illos erga principem se gerere
convenit, videndum: Prius tamen illud, quomodo quis fiat sub-
ditus, attendendum putamus: Id quod duobus contingere modis,
vel Origine, sive Nativitate, vel domicilio, affirmamus.

XXIV.

Origine sive natiuitate fit subditus, qui vel ex ejusdem civi-
tatis

B

tatis

tatis parentibus per legitimum matrimonium junctis natus est, l. 1. princ. ff. ad municip. vel, si ex diversarum civitatum parentibus natus, patris non matris sequitur conditionem, hoc est, ejusdem, cujus parens, civitatis est municeps. l. 1. §. 2. ff. eod.

XXV.

Domicilio, in quo quis rerum ac fortunarum suarum fecit sedem, *civem vel subditum* fieri certum est, l. 3. & seq. ff. eod. Unde contentio est, Utrum nuda contestatio domusve emptio domicilium faciat? quod negatur *ex l. 17. §. 13 l. 20. ff. d. r. sed re insuper factoq;*, hoc est, *habitatione opus est l. 20. & 27. ff. eod.* Hic iterum contendunt nonnulli, quantum ad contrahendum domicilium temporis requiratur spatium: Quorum alii *Decennium*, alii *plus*, alii *minus* exigunt. Nos, quod his in regionibus passim observari videmus, *annuum* nempe *spatium* sufficere statuamus: Quo elapso, qui civitatis jura nondum acquisivit, in civium numero non habetur, nec toleratur. *Geil. 2. observ. 35. n. 8.*

XXVI.

Cum autem omnes omnino, cujuscunque sint ordinis, vel dignitatis, præter Principem, qui nulli nisi Deo subest, subditi sint & vocentur, omnes etiam suo velut capiti debitum præstare honorem convenit.

XXVII.

Honorem inquam, qui consistit: *In Agnitione superioritatis & veneratione Majestatis*: Vult namque DEUS nos suam in Magistratu agnoscere ordinationem, eumq; revereri, *Psal. 82. Rom. 13. 1. Pet. 2.*

XXVIII.

2. *In Amore ac benevolentia*, quam pii declarant subditi, quando pia pro salute atq; incolumitate principis vota ferunt, *1. Tim. 2. Quod captivi in Babylone etiam pro Ethnico facere magistratu debuere Jerem. 29.*

XXIX.

3. *In Obedientia*, quam expressè sacræ præcipiunt literæ, *Rom. 13. Unde quæri potest, Utrū Principi injusta mādanti obediendum*

um; Et num' tali in casu arma adversus eundem sumen-
da. Prius, affirmandum putamus, quod docet *Petrus in 1. Corinth. 2. v. 15.* cum Principis nonnunquam injustitia subdito-
rū merita sit pœna, quam tamen impunè haud latari sunt, sed
immanè torquebuntur *Sap. 6.* Nisi id in exitium animæ æternum
vergat, quando scilicet contra verbum Dei expressum, & consci-
entiam in religionis negotio Princeps quid jubeat, quo in casu
cum Petro, *DEO potius obediendum quam hominibus.* Quod fiet si
tertium eligatur & DEO vindicta detur, & sic non gladio sed
precibus, fuga vel patientia resistatur. Posterius negamus, quia
qui propria sibi autoritate gladium sumserit, eo peribit, *Matth. 26. Proverb. 24.*

XXX.

4. In *Gratitudine* quam Principi exhibent subditi, partim,
quando, quæ ab ipso bona commodaq; acceperint, agnoscant,
partim, si ea recompensare non negligant, sed justâ bonaq; in-
stitutos ratione census & tributa spontè persolvunt, ut ita com-
modius sub Principis vivere tutela possint, *Rom. 13. v. 6.*

XXXI.

Quærat hic aliquis, Num in bene constitutam remp. Peregrini
& Judæi intromittendi, & si in eadem tolerandi, utrum eodem jure, in-
demq; quibus ceteri subditi, teneantur legibus? Hic, quanquam
non ignoremus, *Peregrini* si in Remp. recipiantur, verendum
esse, peregrini etiâ ne inducantur mores, itaque civium paula-
tim jura labefactentur; siquidem, quod *locusta segeti, id Reip. pe-
regrinus. Cas. 5. Polit. 3.* Nos tamen, si vel ex celebri quadam
natione adveniant, vel præter meritum miserabiles, vel ob
Religionis confessionem exules facti sint, & si alia his confi-
milis bona subsit ratio & conditio, recipi eos posse putamus.
Sed quid de *Judæis*? Qui pluribus in locis adhuc tolerantur,
omnes tamen eò intendunt atque exferunt vires suas, quò è
Christianorum facultatibus sua fraudulenter & dolosè mar-
supia saginent. Nonne ergo illos ejiciendos potius è Rep. quam in
eandem recipiendos putemus! Profecto, nisi commiseratio-
ne



ne potius, quam justo duceremur zelo atque indignatione, miselli isti, ubi quæso locorum suam essent habituri sedem? Re itaque exactius pensitata, ferendos eos in Rep. dicemus eo usque & ita, ne publicæ pacis sint turbatores, multo minus ullis publicis præficiantur officiis, aut servos habeant Christianos; novasq; sibi extruant synagogas, l. ult. C. de Jude: & tandem ne matrimonia cum Christianis contrahant l. 5. C. eod. Jam verò utrique, tam *Peregrini* quàm *Judei*, si in civium esse numero cupiunt, istius statim, cujus Reip. jura acquisiverunt, subiectos se legibus atque statutis sciant ac profiteantur, necessum est, ideoque se parem, quin imò majorem magistratui debere honorem atque obedientiam, l. incola. 29. l. 1. ff. ad municip. l. un. C. ubi pet. tut.

XXXII.

Post ea, quæ ad Reip. facere *conservationem* visa sunt, nos ad naturam rerum, quæ principium simul & finem proponere solet, ut est in versu *Palingenii*:

Qualibet orta cadunt & finem cepta videbunt.
ut & in illo:

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.
respicientes, ea quoq; quæ *destruere* atque *evertere* Respub. solent, statim subnectamus.

XXXIII.

Et hîc quidem prius illa decidenda est controversia, quâ contendunt nonnulli, *everfiones* rerump. numeris *Platonis*, nonnulli *sideribus* adscribendas esse? Quorum priores ab *Aristotele* *polit. 5. c. 12. Bod. in Hist. meth. c. 6.* & aliis refutantur. Posteriores non adeo absurdi à plerisque recentioribus *Politicis* judicantur, cum planè negari non possit, *everfiones* rerump. ex *astrorum influxu*, & *constellationibus* quodammodo præsciri posse, ut probat *Clar. Dn. Avenar. quest. polit. 149. sub fin.* ita tamen, ne *apodictica* ex *astris* statuatur desumenda esse *necessitas*, sed *topica* saltem hîc locum inveniat *probabilitas*. *Johan Gerh. dec. 10. qq Polit. 4.*



XXXIV.

Jam quemadmodum supra, quæ ad Reip. conservationem in principe desiderarem, primo loco, posteriori, quæ in subditis, tractavimus; Ita hic quoq; primum obtinebunt locum quæ in Principe, posteriorem, quæ in subditis ad Reip. faciunt destructionem.

XXXV.

Princeps itaque, qui everfionis reip. causa est, peccat vel agendo, vel, quæ facere debebat, omittendo.

XXXVI.

Agendo qui peccat, Tyrannus est; Qui cum summum apud se solum sciat esse Imperium, ea, quæ ad Reip. commodum & utilitatem convertere debebat, in suum, adeoq; privatum transfert usum & quæstum. Id quod quidem multismodis perficere potest, quos tamen omnes ad tria hæc reduci posse capita, nempe; quando 1. Aut civibus nocendi facultatem demit: 2. Aut servitute ingenuos animos enervat, seu humiliora spirare assuefacit. 3. Aut dissidentia disfidisq; inter se divellit. Ex Aristotele *Arnis. 2. de Rep. 6. 3.* affirmat.

XXXVII.

Nocendi autem facultatem demit civibus Tyrannus, quando, 1. Aut præstantissimos quosq; ac spectata eruditionis gloriâ graves è medio viros tollit; Unde plerosque suum ordiri orfosq; fuisse imperium Tyrannos constat, scientes, incautam stolidamq; multitudinem lapideæ instar molis hæere in præcipitio, quæ nisi præstantium ingeniorû consilio & impulsu protrudatur, immobilis perstat, facileq; Tyranno, suis modo illa sordidis inhiare quæstibus permittatur, publicam concedit administrationem, ut notat *Arnisæ. lib. pol. 2. c. 3.* Ideoque primum Tyrannorum præsidium, prima vero everfionis Reip. causa est summorum è medio capitum sublatio. Sed quæ ipsos ad hæc causa impellit, quærat aliquis? Quia scilicet libertatis & boni publici se devastatores esse, adeoque in reip. injuriarum suarum sibi bene conscii, fieri non potest, quin eos qui meliores prudentioresq; aut Reip. administrationem



tionem suspicentur esse adfectaturos, adeoque de vita impē-
rioque sese periclitaturos; aut ad minimum sibi contravictu-
ros, siquidem *generosa natura iniquum & injustum deterioris ferre
imperium non possint*, & quia tunc contra vim præter vim mul-
sum sciunt præsidium, putant,

*Quod civibus tenere se invitis sciunt, strictus
tuetur Ensis.*

Sic Tiberius, sic Nero, sic Cæsar Caligula, sic Claudius, sic Domi-
tianus Imp̄p. aliiq; innumeri ferè fecerunt, quorum nefariis ac
sceleratis factis omnes penè scitent historiæ.

XXXIX.

Aut, quia divitiæ popularem secum trahunt favorem, &
potentiam, Tyranni quoque *millevarias excogitare solent technas*, qui-
bus pollentes opibus cives exhauriant, ut ita, quemadmodum dem-
to aculeo serpentes iterum blandiuntur, sic facultatibus ex-
hausti subditi ad nefanda scelerataq; Principis facta tacere at-
que connivere cogantur. Hinc est, quod *Diogenes* rogatus,
quomodo *Dionysius* amicis uteretur? sicut utribus, responderit,
plenos eum suspendere, inanes verò abjicere. Hinc alius cru-
delissimas tributorum exactiones excogitavit, alius testamen-
torum condendorum, quo scilicet facilius relicta ad se bo-
na sub fisci publici nomine posset pertrahere, potestatem ci-
vibus sustulit: alius eadem condita irrita proclamavit; alii de-
nique aliis, & nescio, quibus non stratagematibus ad exhauri-
endos subditos usi fuere, quos magno numero percenset & e-
narrat *Arriæus de Rep. 2. d. 6.*

XXXIX.

Secundum, quoad suæ propagationem Tyrannidis, ad Reip.
verò everfionem stratagemate uti solent Tyranni, supra illud
diximus esse, quando *ingenuos servitutibus, atque laboribus animos
enervat Tyrannus*, quod cum lucro ut queat perficere, primum,
sublatis, ut supra monuimus, viris egregiis ac sapientibus, ne
quasi ex succisa radice novi succrescant surculi, omnes libera-
les

les disciplinas interdicit, removet, eradicat, earumq; in lo-
cum alia, eaq; servilia introducit studia, sciens, nisi cum lacte
quasi materno virtutum foveantur igniculi, quin potius duris statim at-
que agrestibus supprimantur moribus ac studiis, minus verendum, ut
inculti isti & simplices contra se quid moliantur. Sic nec filio
suo satis fidens Dionysius eundem domi perpetuo reclusum ser-
vavit, ne, si ingenuorum uteretur colloquiis & consuetudine, ipsius forte
animus emulas virtutum concipere posset cogitationes. Quare etiam mi-
sellum istum honestorum ac sapientum privatū lumine atq; conversatione,
nil nisi crepundia, mensas minusculas, sellulas, pusillaq; vehicula & id ge-
nus alia domi fabricare solitudo docuit. Plut. in vit. Dionys. Sic Ari-
stodemus, cum occupata Cumanorum Aristocratia, optimatum
interficere liberos masculos destinasset, matrum verō motus
precibus animum mutasset, suæ tamen consultum securitati
vellet, ne quid fortè illi contra ejus molirentur tyrannidem,
omnes patria ejectos, & ab omnibus disciplinis honestioribus
semitos in rus abegit, & ad colendum illud damnavit, mortem
ei qui intra mænia deprehenderetur, interminatus. Halyc. lib.
7. in princ.

XI.

Tertium Civium diximus dissociationem, cum videlicet Tyrannus
delatorum adulatorumq; ope, inter cives tam Nobiles quam
ignobiles, tam divites quam plebeios, factiones serit, satasq;
eas omni studio fovet ac promovet, ne ulla inter ipsos fides, ta-
ceam animorum atque voluntatum efflorescat conjunctio
atque unitas, Arnif. 2. de Rep. d. c. quæ profecto sufficiunt, ad præ-
cidendam subditis omnem rebellandi aut illatas injurias ul-
ciscendi occasionem. Quem etiam in finem publica conven-
tacula interdicare ac prohibere soliti fuerunt Tyranni, aut in
conventus publicos subornare exploratores, quorū præsentia
tantum olim civibus injecit terrorem, ut omnia sua etiam co-
gitata illico manifesta crederent. Tacit. lib. 4. Annal. Tales olim
habuit Tarquinius superbus, tales Darius junior, aliiq; plures, qui-
bus ad finem suum assequendum feliciter, i. e. pro animi voto
& sententia eos usos fuisse per historias passim liquet.

XLI. Hic



XLI.

Hic sæpius agitata incidit quæstio, *Utrum videlicet Tyrannus manus impune è inferre, eumq; occidere queant subditi?* Notamus hinc distinctionem inter Tyrannum in titulo, & in Exercitio Arnif. 2. de Rep. c. 2. & 3. Schönb. pol. 2. c. 40. Sive inter Tyrannum Occupatione & Administratione. Illum, cum juratus Reip. hostis meritò submoveri possit. Tholos. lib. 26. de Rep. c. 7. s. 5. à quovis impunè interfici posse statuimus, Bodin. lib. 2. de rep. c. 5. De hoc, si quidem alium superiorem nempe DEUM recognoscat, & justa successione, sive quovis alio legitimo modo imperium sibi acquisiverit, non idem dicendum: Cum expressè velint s. literæ, ut obedientiam præstemus Magistratui non tantum probo, sed & iniquo, 1. Petr. 2. v. 18. Et qui propria sibi autoritate gladium sumserit, eodem sit periturus, ut supra quoque fuit demonstratum.

XLII.

Omittendo Princeps peccat, adeoque Remp. destruit, quando sui quæ sunt officii, negligenter curat, quorsum, ne prolixiores simus, omnia supra positis contraria possumus referre vitia Principum, ut sunt *Impietas, Intemperantia, Injustitia*: Quibus adhuc aliam everfionis Reip. causam, nempe *Moneta depravationem* accensendam putamus, quando scilicet ex avaritia ductus Princeps adulterinam cudi permittit monetam. Adulterinam autem vocamus, quæ vel planè ex injusto metallo est fabricata, vel plus ejusdem habet admixtum, quam legibus monetalibus est constitutum & concessum; Quarum utraque reprobatur l. 1. de contrah. emt. l. 1. ibi speciei proba, C. de vet. numis. pot. l. eleganter, 24. §. qui reprobos. de pignor. actione. l. Lege Cornelia. ad L. Cornel. de fals. Ord. crim. Caroli V. art. 3, ibi. Wenn einer vnrecht Metall darzu setzet. Quæ monetæ depravatio, quam exitialis sit Rebusp. satis intellexisse videtur Pius Bohemiæ Rex Boluslaus, qui filium suum ejusdem nominis, ab eadem sic dehortatus fuit. Est aliquid, inquit, mi fili, quod Rex Carolus & manu potentissimus haud equiparandus nobis hominibus valde humilibus, cum filium suum Pipinum post se in solio sublimandum disponeret, eum terribili cum sacramento obstrinxit.

xit, ne in suo regno subdola & prava moneta ponderis fieret taxatio. Certè nulla clades, nulla pestilentia, nec mortalitas, nec hostes totam terram rapinis incendiisque devastantes magis populo DEI nocerent, quam frequens mutatio & fraudulenta perjuratio nummi. Quae pestis aut quae infernalis Erynnis inclementius spoliat, perdit, attenuat Christicolae, quam fraus in nummo herilis. Cosm. Pragense. lib. 2. Nec est quod longè per exempla ac testimonia Antiquitatis eamus, ipsa tristissima nostra Germania sufficiens est testis hujus rei. Quin tamen moderna monetae depravatio ex summè urgente necessitate si non permitti debuit, saltem non averti à quibusdam magistratibus potuerit, nulli dubium esse vel debet vel potest.

XLIII.

Jam ad ea, quae in subditis ad everisionem Reipub. facere videntur, pergamus: Quae, cum omnia vitia dixerimus, ingratum si dixerimus subditum, omnia ferè sub unico ἀναρχία vitio nos comprehendere posse putamus. Eam namque Magistratus sequitur odium, hoc contemptus, hunc inobedientia, hanc conjurationes & factiones, has denique seditiones, quae nullo non ævo Rebusp. maxime fuerunt exitiales, cum infirmum reddatur, quicquid inter se dissidet. Aristot. 8. polit. c. 6. Quod & ipsum ut ex historiis liquet, ita quotidiana adhuc semper experientia confirmatur.

XLIV.

Et haecenus causas de Monarchia tam conservante, quam defruente, vidimus, de ejusdem Forma quaedam subnectere est animus. Eam itaque Monarchiae, qualem supra definivimus, in unius imperantis sive Monarchae consistere praeminentia statuimus. Etenim sicubi vel divisa sunt jura majestatis, vel optimum vel plurimorum praemineat potestas, atque imperium, Monarchiam certè non esse dicendam, vel manibus tangi potest: licet non negemus mixtum quandoque esse posse Reip. statum (quod negat Bodin. 2. de Rep. c. 1. sed perperam, cum experientia ususque nos longè aliud edoceat,) ita tamen, ut semper una aliqua pars praemineat, praeponderet atque propendeat, à qua postea denominandus Reip. status, Lips. 2. pol. 2. Polyb. l. 6. de mil. & domesti. discip. Halycarnas. l. 2. c. 3. de Legib.

XLV. Unde

XLV.

Unde Controversiam nobis movere quis potest, de nostri Romano Germanici Imperii statu, qualis nempe ille dicendus; An Aristocraticus, an democraticus, an Monarchicus? Hic, quamvis non inficias eamus, in ipso nostro Romano-Germanico Imperio elucere atque conspici tam Aristocratiam, videlicet in Electorum Collegio, quam Democratiam, in civitatibus nimirum quibusdam liberis, ab hac tamen vel ab illa propterea aut Aristocraticum aut Democraticum ejusdem denominari debere statum, negamus, sed Monarchicum eundem dicendum asserimus, cum in eo præponderet ac præeminet monarchia, quod exinde demonstramus, quia pleraque sibi summa Majestatis jura soli Imperator reservavit, qualia sunt, leges universales condere, Investitura principalis, regale solium, corona, pallium, sceptrum, orbis figuram representans pomum, videatur Schönborn. Pol. 1. c. 26. A qua jure meritoque eum denominamus, ut in præcedenti thesi fuit demonstratum.

XLVI.

Ubi adhuc alia se offert controversia, videlicet quia summa Imperatorem sibi soli majestatis jura reservasse diximus; Papicolæ autem suum passim Pontificem summum crepant esse Principem, Covarr. c. alma mater, pag. 1. §. 1. num. 4. Sentent. Excommunic. lib. 6. cui supra omnes leges constituto c. proposuit, de concess. præbend. c. si Papa. 40. dist. c. nunc autem. dist. 21. fas etiam sit ipsis illudere Imperatoribus: Utrum eidem quid juris in Imperatorem competat? Non ignoramus quidem, nonnullos Rom. Pontifices hoc sibi admodum superciliosè tribuisse, quod tamen ad illorum nos non pertrahit partes nec perducit; verum, ut ipsi quidam fasli fuere Pontifices, Leo IV. c. de Capitulis. 10. dist. c. ult. ead. Johannes II X. c. vides, & seq. dist. 10. Imperatori eas subjectione devinctas esse statuimus. Hinc etiam Henricus IV. Imp. Benedicti X. pontificatum abrogasse dicitur. c. quia igitur, c. nobis. c. Agatho. c. Hadrianus c. in synodo. dist. 63. Unde liquido apparet non Pontifici in Imperatorem, ut fastuosè jactitant Papicolæ; sed Imperatori in Pontificem jus esse & competere.

XLVII. Ec

XLVII.

Et hæc etiam de *Forma Monarchia*, paucis etiam de ejusdem *Fine*: Quem *Claudianus ad Honorium Imp.* egregiè his explicavit versibus:

*Tu civem Patremq; geras, tu consule cunctis,
Non tibi, nec tuate moveant, sed publica, damna.*

Unde etiam *Cic. 5. de Rep.* dicit, optimum quemq; civium commodum, securitatem, & salutem ante oculos propositam habere; *Cum populi salus suprema esse lex debeat, Cic. 1. offic.* Hinc merito *Vespasiani* laudanda est *vigilantia*, qui usq; adeo publicum bonum Imperatori curandum esse censuit, ut *Stantem eum mori oportere* affirmaret. *Sueton. in Vespasiano &c.*



G 2 COROL



COROLLARIA.

I.

*An imperium hominis in hominem sit naturale? A.
Nam imperare & parere sunt ex genere ne-
cessariorum. Arist. 1. Pol. 5. Natura autem de-
ficit in necessariis.*

II.

*An subditi Magistratu sint priores? A.
Quia constituens prior est constitutus.*

III.

*Num Magistratui liceat bona usibus sacris legata
in usus profanos transferre? N. Nam quic-
quid D E O semel consecratum est, illud extra
commercium hominum est, constitutum. Levit.
27. vers. 28.*

IV.

*An consilii seu sententiae mutatio in consiliario, &
viro prudente absolutè sit reprehendenda? N.
Quia errare est hominis, sed nō persistere, saepe
optimus est portus, vertere consilium.*

V.

*Num futuro Politico studii quid ponendum in ar-
tibus*

tibus & Philosophia? A. Ita tamen, ut vita non
schola discat.

V I.

An Respublica sit à DEO propitio vel irato? A.
prius. Nam qualis est ratio principii talis quo-
que est principiat. Atqui Magistratus, qui ha-
bet rationem principii est à DEO propitio. E.

V II.

An bonorum communio in bene constituta repu-
blica sit toleranda? N. Quia impingit
vim contra legem scripturae, quam na-
tura.





Ad Præstantissimum
DN. RESPONDENTEM.



D Unitatem quò quid arctius redit,
Hoc pulcritatis plus subinde suscipit,
Pluralitatis rarò faustus exitus.

Ab Unitate quando publica migrant
Patres salutis, subditos præsens malum
manet, resurgunt noxiæ discordiæ,
Confusiones, subditis dirum malum!

Ab Unitate queso sed quid nos trahit,
Opinionum multà quàm diversitas?

Quot cernis esse vertices, tot insuper
Sensus videbis esse, **STURMI**, fortiter
Propaucitate qui duella sustines,
Ad Unitatem cum reducis Imperi
Statum. Profectò rem facis probissimam,
R E X Unus esto; plura plurimi exigunt.

Viel Hirten vbel gehütes,

Properavi Meo

Amico & Commensali

svavissimo, literatissimo

Dn. **F. R. STURMIO**

M. JOSEPHUS CÖRBERUS P.L.

Ostentat

 Stentat varios gradus honorum
Laudis Sacra fames cupitq; pluris
Semper ambitiosus æstimari:
Sic multiensiferi cruenta bella
Hostilesq; acies videre ocellis

Queis non contigerat, loquace voce
Jactant arma viros, gravesq; pugnæ
Jactant gesta, manus, suumq; robur
Sed quando hostis adest, datusq; circum
Ferro Lethifero necem minatur,
Ostensam ecce volam pedis timentis.

Sic multi Aonio secreta mentis
Vix dedere choro, lacuq; docto
Exhaustere parum Zythi beantis
Sufflantur subito, sonu superbo
Hei nos poma natamus efferentes,
Silent interea nec audent unus
Ex illis docilem ingredi palæstram, &
Certans tollere præmium peremne.
Mens longe melior tibi perite
STURMI est, cum solitam introire arenam
Tentes, nec meas tenere pugnam,
Laudo propositum, simulq; laudant
Hæc quicumq; legunt, quibus disertè
In servis patriæ, tibi atq; amicis;
Certa, amice bonam auferes corollam
Certa. victor eris, feresq; laudem.

Moris & amoris ergo faciebat

HIERONYMUS HOFFLICHIVS
L.L. Stud. Franc.

FINIS.

P.L.

ntat





Wittenberg. Diss., 1613/23

ULB Halle


3


002 673 304



V. 17







DISPUTATIO POLITICA,
De
STATU REIP.
MONARCHICO, 1622

Quam
Divini adspirante Numinis
gratiâ,
IN CELEBERRIMA, QUÆ EST AD ALBIM,
ACADEMIA,
PERMISSU FACULTATIS PHILO-
SOPHICÆ AMPLISSIMÆ,
PRÆSIDE
M. FRIDERICO KORNMANNO,
Uratislaviensi,

Publico Examine subicit
FRIDERICUS STURMIUS,
Cotheno-Anhalt.

*Ad d. 13. Julii, in Auditorio Philosopho-
rum, horis à 7. matutinis.*

WITTEBERGÆ,
Exscripta typis CHRISTIANI THAM,
ANNO M DC XXII.

25
33
10

